



Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Privatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10421

tinguatur cum persona, vel quando sit concessum realiter, vel personaliter, vide Dyn. & gloss. in c. privilegium, à num. 7. de reg. jur. lib. 6. & gloss. in c. cum venissent, & in c. probatum, de institut. & in dubio an præsumatur reale, vel personale, dicit, quod personale, gloss. in Sum. 25. quæst. 2. Addit. ad Dynum, loc. cit.

Sexto, an privilegia concessa, ad instar privilegiorum alterius loci, eoloco structo, vel revocatur ista concessa, ad instar illorum, responderetur, quod non, & ita censendum est de indulgentiis concessis ad instar, Bal. in l. omnia, eod. de Epif. & cleric. col. 2. Navar. de indulgent. notab. 26. num. 8. hoc temperarem, non habere locum in illis qui habent facultatem communicandi sua privilegia, & ipsi communicant aliis, ut sunt Romæ Confraternitates sanctissimæ Trinitatis, sanctissimi Sacramenti, nam si extinguerentur privilegia illarum, expirarent etiam concessa, & communicata per illas, quia accessorium sequitur naturam principalis, & cætera, vide in Addit. magnis.

P R I V A T I O.

Quot modis venit quis privandus beneficiis ecclesiasticis, vel sit privatus ipso jure, vide Doct. in c. 2. de rescript. & in c. quærela de iurejur. & Gom. 9. 7. col. 4. de subrog. collig. Diaz. in Pract. Crim. Can. c. 123. Staph. de lie. grat. fol. 139. à nu. 1. sed cum hodie omnes pœnæ sint arbitrarie, iudicibus, etiam si sint in jure determinatæ, & taxatæ, & ex causa possit illas iudex augete, & minue-

re, text. & gloss. in l. hodie, ff. de pœnis. Paul. de Castro conf. 328. col. 2. Covar. lib. 2. c. 9. nu. 8. var. resol. Syman. de Cath. instit. tit. 46. n. 29. l. quid ergo, §. pœna gravior de his qui notant infam. Abb. cap. 2. de cohab. Cler. & mul. circa fin. Covar. pract. quæst. c. 34. in ult. Maran. 4. p. ut. an iudic. sit civil. vel crim. nu. 82. Foller. pract. crim. 4. p. num. 2. etiam in crimine hæreseos, an quis non est ipso jure privatus beneficio? Castro lib. 2. c. 9. de just. hæret. punit. Covar. lib. 2. c. 8. var. resol. aliter sentit, bene verum, quoad alia, c. cum secundum leges de hæret. lib. 6. in quibus etiam requiritur declaratoria privationis; Gom. 9. 52. de an. possess. licet in hoc etiam delicto post sententiam possint iudices mitigare pœnam, & mutare, si viderint expedire, c. ut commiss. de hæret. lib. 6. ideo circa hoc immorabor parum, sed pro practica ea, quæ sunt de jure novissimo, more meo attingam. Et primum, an Clericus homicida sit ipso jure privatus beneficiis prius obtentis? Secundum, an possit ea habere in posterum. Tertium, quando amittuntur beneficia propter non residentiam? Quartum, qua praxi utendum in privatione beneficiorum de jure antiquo & novissimo? Quintum, an ubi pœna imponitur ipso jure, requiratur declaratoria? Sextum, an ubi dicitur, nulla alia sententia declaratoria expectata, debeat exequi, pœnam illam incurrerit, beneficia dimittere, non expectando declaratoriam sententiam? Septimum, an Episcopus possit restituere beneficium ei, qui iusta de causa privatus fuerit? Octavum, an quis privatus Ecclesia propter culpam suam, sit inhabilis

inhabilis ad eandem illa vice? Nonum, an privatur ipso jure is qui contaxerit matrimonium, licet nullum, & an si præstiterit patrociniū contra Ecclesiam suam. Decimum, an perseverans per annum in confirmatione, sit ipso jure privatus beneficio? Undecimum, quibus modis beneficiati veniant beneficiis privandi? Duodecimum, an privatus beneficio ob suum delictum, possit illud ex nova concessione requirere? Decimum tertium, an Judices causarum beneficalium vel criminalium, privatione beneficiorum concernentium, eorumque affines, & familiares beneficia illa impetrare possint? respondetur quod non, Pius V Bulla 20. qua incip. *Cupientes*.

Ad primum, oportet distinguere cum Conc. Tridentino, sess. 14. cap. 7. de reform. nam si homicidium est commissum voluntate, & probatum fuerit, non est ipso jure privatus, sed venit privandus per sententiam, Innocent. in cap. cum nostris, de concess. præb. Abb. in cap. tanta, numero 2. de concess. præb. Diaz in præct. Crim. Can. c. 88. Nav. cap. 28. num. 249. iuxta medium. notab. Staph. de lit. grat. folio 140. numero 9. Selva. tract. de benef. 4. par. quæst. 3. in prin. Abb. & Felin. in dict. cap. 2. de rescript. & in dict. cap. quarelam, & in cap. tua, de iurejur. an, ubi dicunt, quod pro quolibet gravissimo delicto Clericus beneficiatus non est privatus ipso jure beneficio, sed venit privandus per sententiam, etiam in omnibus irregularitatibus, Inn. loco citato vide Covar. li. 2. cap. 8. numero 3. ver. 3. var. res. fol. Abb. in cap. Clericus, num. 3. ne Cler. vel Mon. Fallit in homicidio qualificato; pu-

ta in assassino, cap. 1. de homicid. lib. 6. Reb. ut. de mod. amu. benef. quia in eo casu vacant ipso jure, sed dubium est, quid si Judex non addat in sententia, quod privat condemnatum beneficio, an remaneat privatus? dic. quod non, quia non est ipso jure privatus, ut dixi, & licet Diaz loco citato, cap. 123. num. 2. pag. dicat, quod condemnatus de aliquo delicto per sententiam, censeatur privatus ipso facto beneficio suo, debet intelligi, vel quando crimē erat tale, quod inducebat privationem ipso jure, vel quod sit inserta ipsa clausula, prout supra, Abb. in cap. inter dilectos, prope finem, de excess. prælat. & ideo sint cauti Judices addendo in simonia ipsam privationem, ut notat Innocent. in cap. qualiter & quando, il. secundo in gloss. super ver. diminutionem, de accusat. Diaz. loco citato. Ratio est, quia illam clausulam non posset addere post latam sententiam, per ea, quæ dicit Diaz loco citato, cap. 126. & Covar. libro 2. cap. 9. numero 8. var. res. & præct. quæst. c. 34. numero ultimo, & infra in vers. pana, & secundo, si verò non fuerit voluntarium homicidium, sed in rixa, vel vim vi repellendo, ut quis & à morte defenderet, nunc petendo dispensationem à summo Pontifice, quatenus opus est, committitur loci Ordinario, vel ex causa Metropolitanano vel vicinioti Episcopo, Con. ut supra, & Clem. unica, de homic. Rebuff. titulo. de dispensat. cum corpus vivat, num. 20. & infra, vide pro 1. membro Dyn. in c. 1. numero 44. & inf. de reg. jur. libro 6. ubi ponit tria tempora, quibus potest quis reddi inhabilis ad beneficia retinenda.

Zz Ad

Ad secundum Staph. loco citato, num. 2. Selva 4. par. quest. 7. num. 2. casu 31. dicunt, posse Episcopum dispensare, ut homicida, etiam voluntarius, habere possit beneficium simplex, ad hoc ne cogatur mendicare, & dicunt esse opinionem, Innoc. Abb. in cap. 2. numero 4. & 5. de cler. pug. in duobus. & addition. in littera C. & in cap. 2. numero 2. de cler. non ordin. celeb. & Hostiens. per cap. studeat, 50. distinct. idem Diaz. cap. 18. & cap. 88. sed quicquid sit, hodie per Concilium Trident. sess. 14. cap. 7. de reform. cum homicida voluntario, etiam occulto non potest Episc. dispensare, nec ad beneficia simplicia nec ad sacros ordines, hoc intellige de homicida qui ex industria, occiderit aliquem, secus vero si casu vel vim vi repellendo, vel in rixa, nam irregularis non est ipso jure inhabilis ad beneficia simplicia, Caputaquens. decis. 236. p. 2.

Ad tertium, vide gloss. in cap. quoniam frequenter §. porro, in ver. Can. ut lite non contest. & Selva 4. par. questio 5. per totam. cap. ex parte, cap. iua, de cler. non resid. ubi dicitur in Summa, quod vel decessit cum licentia temporis præfixæ, & tunc debet expectari dictum tempus, quo elapso, si scitur, ubi degat, debet citari personaliter, ut veniat, alioquin, &c. si vero ignoratur, citetur per edictum ad valvas Ecclesiæ, verum si discessisset absque licentia, vel cum ea, sed tempore indefinito, si scitur ubi sit, citetur personaliter, si facit copiam sui, si ignoratur ubi sit, tunc per edicta, Maran. 6. par. titulo de citation. numero 91. & patet juribus, & Doct. superius allegatis, sed de jure novissimo, primò est viden-

dum de beneficiis curatis, de quibus Concil. Trident. sess. 6. cap. 1. de reform. censuit de Prælatiis majoribus, ut si per sex menses abfuerint, amittant ipso jure quartam partem fructuum unius anni, applicandam, &c. prout ibi, in sess. 23. o. 1. de reform. vult, ultra pœnas impositas in dict. sess. 6. incurri has, primò, ut non faciant fructus suos pro rata temporis absentia, & easdem pœnas extendit ad habentes curata beneficia, & magis eos astringit, ut non possint abesse per bimestre, nisi de licentia Episcopi in scriptis habita, quibus elapsis, non rediens, citetur per edictum, & primò vult, ut procedatur per censuras, secundò per fructuum sequestrationem, tertio, per privationem, & sic quoad edicta ponenda tria, servari potest jus commune, sed non quoad privationem, nisi servato ordine sac. Conc.

Ad quartum, de tempore expectando inter tria edicta ponenda distinguendum est, an habuit licentiam per bimestre, & tunc eo elapso citatur, si sine licentia statim potest citari, & ponuntur tria edicta, distinguendo, ut supra, si scitur, vel nescitur, ubi sit, si copiam sui facit, vel non, juxta Clem. Can. de elect. decis. Rot. 26. de appellat. in noviss. & 10. ibidem & ibi Addit. numero 5. & decis. 22. de re script. in noviss. & addit. decisio 5. de re script. numero 15. Maranta, de citatio. d. n. 83. & infra, & tunc expectatur per semestre, plus, minusve ad arbitrium judicis, ut Gloss. Hostiens. & Joann. Andr. dicentes, quod ideo jura statuerunt diversa tempora circa hoc, ut denotetur esse arbitrium Judicis, Selva loco citato,

olum. 3. quòd si non venerit in peremptorio & contumacia, potest procedi ordine sac. Concil. Trident. & sic primò citabitur sub pœna amissionis fructuum, & censurarum, crescente contumacia, fit sequestratio fructuum, ulterius fit privatio, sed interim ponetur in curato, sive beneficio, & parochia, Vicarius, seu œconomus, juxta c. 2. de reform. quòd considerata debent Reverendissimi locorum Ordinarii, ne nimium præcipitanter procedant in hoc negotio, vide omninò Innoc. in cap. ex tertia, nu. 1. & 3. de cler. non resid. ubi dicit pulchram practicam,

Primum dubium, quòd movet gl. in dict. cap. fin. in ver. excusationem, de cler. non resid. quòd si curatus absit causa inimicitiarum, & non potest residere sine discrimine vitæ, ad hoc sacra Congr. declarat 229. & alia questio 32. censuit, quòd permittitur per annum abesse à suo beneficio, posito tamen in illo, per Episcopum idoneo vicario, seu œconomus, quòd si intra annum inimiciatæ non extinguantur, licet Episcopus intermisisset partes suas, responder, quòd scribatur eidem sac. Cong. cuius culpa factum sit, quo minùs reconciliatio non processit, annuens, quòd si curatus, sive beneficiatus fuerit in culpa, tã causã dñi inimiciarum, quàm non extinctionis earundem, quòd privetur per regulam, quòd nulli debet suus dolus patrocinari, c. audivimus, de collus. deteg. nec æquum est quemque suum dolum reservare, l. verum, §. tempus. ff. pro socio, l. non fundatur, ff. de reg. jur.

Secundum, si discessisset causa pestis

vel belli, vide Gom. questio 17. de trien. poss. ubi dicit non posse tunc procedi ad privationem, nec ad contumaciam, nisi cessante causã.

Tertium dubium, an parochus discedens ex causa à parochia absque licentia scripta, ut dicit sac. Concil. incurrat has pœnas si absit p et duos menses, Navar. cap. 25. numero 121. prope finem, dicit, quòd non incurrit, & probat ibi per multa, similiter quando discederet necessitate quadam subito occurrente, quia tunc potest se absentare etiam sine licentia Prælati, quia plerumque tempus non patitur, seu locus licentiam petere, Selv. 4. par. questio 6. numero 4. casu 14. argu. cap. 1. sess. 21. de refor. §. nam cum Christiana charitas. hic possunt poni omnes casus exeufantes à residentia, ut dixi in ver. distributiones quotidiana, & dicam, in ver. residentia.

Secundò, principale de Præbendis, Dignitatibus, & Canonicatibus sac. Congr. sess. 24. cap. 12. §. præterea, disponit in hæc verba: Obvinentibus in Cathedralibus, aut Collegiatis, Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut portiones, non liceat ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse, salvo earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitiis tempus requirunt, alioquin, primò priventur dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbenda, ac residentia faciunt suos.

Secundò, anno verò secundo, si erit negligens, omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Tertio, crescente contumacia, contra eos procedatur juxta sacerorum Canonum Constitutiones, prout in cap. ex parte, & cap. ex tertia, de cler. non resid.

ubi autem non adsunt fructus præbendarum, potest privari benef. prout supra.

Primum dubium, an istis tribus mensibus quibus absunt Canonici hoc jure permittente, non solum lucrentur redditus beneficii, verum etiam distributiones quotidianas, sac. Congr. censuit negativè, *declarat. 3.*

Secundum dubium, an Episcopus possit dare licentiam, ut absint ultra tres illos menses, sac. Congreg. *declarat. 145.* Respondetur affirmativè, nempe per quatuor menses.

Tertium dubium, an omni tempore indifferenter possint Canonici uti hac licentia, & an Episcopus possit eam dare? sac. Congreg. *declarat. 153.* respondit, quòd non tempore Paschæ Domini, & hujusmodi maximarum solennitatum, & hæc omnia intelligi debent cum Clavula Concilii, *in dist. cap. §. salvo nihilominus.*

Quartum dubium, an in illis tribus mensibus à jure concessis sit assignanda causa absentiae, & cum licentia sui Prælati, vel an possit potiri beneficio trium mensium, nulla causa declarata, sed impetratâ licentiâ, sac. Conc. *declar. 448. in meis*, censuit in hæc verba, nullam assignandam esse causam, nec ullam licentiam requiri, non tamen omnes Canonicos posse abesse eodem tempore, ne Ecclesia destituatur suo debito servitio, sed tantum quotam partem Canonicoꝝ, quæ videbitur arbitrio Episcopi vel Capituli.

Tertiò, principaliter de beneficiis simplicibus, nihil quoad hoc (quantum potui videre) statuit sancta Synodus, nisi

in sess. 21. cap. 6. de reform. circa ultimum & *sess. 25. cap. 14. de reform.* tamen quicquid sit, quia nos loquimur præcipuè de privatione beneficiorum, ratione residentiae non præstitae, dico primò, quòd de jure omne beneficium, etiam simplex, requirit residentiam, *cap. conquirentur, 1. & cap. si de cler. non resid. Selv. 4. par. qu. 1. Nav. loco citato*, tamen ex consuetudine, de qua lamentabatur Diaz. *Præf. Crim. Canon. cap. 44.* & *Selv. loco citato, questio 2.* Dico secundo, quòd si clericus beneficiatus beneficio simplici, vagetur per mundum, potest privari beneficio simplici, propter delictum vagationis, *Innoc. in cap. extua, num. 4. de cler. non resid. Abb. in dist. cap. extua, num. 14. de cler. non resid. Selv. 4. par. 9. 5. colum. 4. Abb. loco citato, ex Innoc. ind. c. extua, Simon. de grat. expect. cap. 1. n. 17. cap. non oportet, cum seq. 7. questio 1. Afflic. decis. 189. numero 3.* quòd habentur multa pro practica privationis, ob residentiam non præstitam, & hoc multis modis. Primò, quando vagatur, & ignoratur, quòd eat, beneficiumque illud habeat quasi pro derelicto, hoc patet ex superioribus; vide *Abb. in cap. ex parte, per totam, de cler. non resid. & in repet. §. qui verò, cap. exirpanda, numero 32. de præbend.* Secundo, quando citatur ad Synodum diocesanam, quæ quolibet anno celebrari debet, *Conc. Trident. sess. 24. cap. 2. de reform.* nam in illa omnes beneficiati tenentur adesse, ut ibi patet, *cap. ex ore, circa finem, de privileg. gloss. in cap. quia tantum, in versiculo plures, de præbend. & vide superius in ver. Concilium.* Tertiò, in visitatione, ubi Episcopo

piscopus debet inquirere de omnibus beneficiis ecclesiasticis, *cap. ordinarii, de offic. ord. libro 6. cap. decernimus, 10. q. 1. cum sequentibus*, & si non comparuerint, potest procedere ad privandum, modò quo supra. Quarto, quando beneficiatus absens ignoratur, an sit vivus vel mortuus, & longa mora, seu absentia derentus, tamen si residet, recuperabit sine alia collatione (hoc intellege nisi fuerit privatus in contumacia) quia tunc non recuperabit. Rebuff. ubi supra in tit. de reprobation. beneficiis vivent. in pract. nu. 21. Sed animadvertere debent locorum Ordinarii, ne procedant ad beneficiorum privationem absque personali citatione, non enim sufficit notitia rei vaga sed certa, & indubitata, *Gö. tract. utr. signat. fol. 21. colum. 3. decis. Rotæ. 750. in antiquis, Felin. in cap. quoniam, §. porro, col. aniepen. ut lite non contest. & in cap. cum contingat, col. pen. de rescrip. Rom. cons. 481. incipit, in casu premissis, secundo dubio, & in leg. scire debemus, §. qui autem, ff. de excusat. ut. l. aut qui aliter, §. & si forte, & ibi gloss. finalis, quod vi aut clam. & Cov. in cap. alma mater. x. par. §. 9. numero 4. dicit, non posse dici verè monitum, vel contumacem, nisi monitio, vel citatio sit personalis, facit gloss. in Clem. unica, in versiculo, manifestè, de dolo & contum. & Extravagans unica commun. de pen. i. idem decis. Caputaquensis. 114. & 115. & decis. 372. pag. 2. & decis. 375. sed quando fuit lata reo semel personaliter citato, & in eo non comparente, per audientiam contradictarum, est valida. Caputaquensis. 135. pag. 3. Rota decis. 164. in noviss.*

Quintò, qui per triennium non ha-

erit adeptus possessionem beneficii, videtur illud habuisse pro derelicto, Boer. decis. 24. numero 3. Dicit quis, ergo nunquam poterunt locorum Ordinarii privare quem beneficio, quia beneficiatus nunquam facit se citare personaliter multis artibus, & technis. Respondetur ex Covar. loco citato, quòd quando quis dolo latitat, ut subterfugiat personalem citationem, potest tunc ad domum habitationis, vel ad valvas Ecclesiæ citari, & selva ubi supra, loquens de citatione personali, dicit, si commodè citari potest, & sic intelligitur *cap. ex tua, cum similibus, de cler. non resed. & tunc expectari potest per sex menses, trib. propositis edictis, prout supra, Tiraq. de utroq. re. trad. tit. 1. §. 9. numero 37. & §. 6. gl. 1. & 2. numero 4. & 6. Inno. in dict. cap. ex tua, numero 5. vide Abb. in dict. cap. ex parte, numero 8. & in dict. cap. ex tua, nu. 13. ubi dicit, quòd quando scitur ubi sit, sufficit semel citari personaliter, & præfigi terminum, quo transacto, potest spoliari: si verò ignoratur, tunc opus est tribus edictis, facit *cap. pro possessore, & ibi Dyn. numero 5. & addit. in ultim. littera F. de reg. jur. libro 6. & gl. in cap. cum constat, hoc titulo & lib.**

Primum dubium, an Episcopus possit in aliqua sua constitutione ponere penam privationis beneficiorum illis, qui non resident in suis beneficiis, quæ de jure, statuto, seu consuetudine non requirunt personalem residentiam. Et videtur quòd non, per ea quæ dicit *Gom. in cap. 2. §. statuto, de constitut. libro 6. numero 17. & in dict. cap. numero 56.* tamen his non obstantibus, contrarium est verius, pro-

ut dixi in *versic. edita*, §. 2. & hoc præcipue, quando esset notabilis absentia, sed hoc non videtur undequaque observari.

Secundum dubium, an possit Episcopus prohibere parochis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne ultra bi-duum absint ab Ecclesiis suis. Sacra Congreg. *declarat*, 37. negativè respondet, sed bene sub pœna pecuniaria, quæ nõ excedat dimidiam decimam: vide Rebuff. *loco citato*, numero 14. & Navar. *cap. 25. n. 121. juxta medium*, dicentem, posse parochum abesse duos menses, absque licentia, cum causa, Ampliatur quod dictum est, non solum respectu residentiæ non præstitæ, posse quem privari beneficiis, sed propter negligentiam; Gloss. *in cap. 1. de offic. custod. & in cap. ea que, de offic. Archid. & in cap. placuit, 2. questio 3. & in cap. dictum, 81. distict.* Gom. *trakt. de neglig. casu 156.*

Ad quintum, omittis disputationibus, de quibus copiosè poteris videre per Gom. *in cap. 1. in ver. ipso jure, à numer. 4. & infra, de rescript. libro 6. respondetur ex eodem*, requiri sententiam declaratoriam, quotiescunque imponitur pœna ipso jure, etiam in hæretico, per *cap. cum secundum legem, de heret. libro 6. & Cast. loco citato, facit cap. licet, de præben. libro 6. Gomef. questio 52. de ann. poss. & questio 52. de trien. possess. Nav. cap. 23. numer. 67. Soto. libro 1. questio 6. articulo 6. circa fin. de just. & jure, in conclus. 3. Capyc. *decif. 112. numero 2. Tabien. in verbo. excommunicatio 5. casu 2. §. 1. Covar. loco citat. §. 2. numero 9. quamvis in libro 4. ca. 8. numero 3. var. resol. versic. 2. dicat, hæreticos esse ipso jure privatos beneficiis,**

& inhabiles ad ea obrinenda, per *cap. ut commiss. §. privandi de heret. lib. 6.*

Ad sextum, respondetur, rem profectò esse difficilem, tamen omittis quæ hinc inde dici possent, dico requiri etiam aliquam declaratoriam, etiam in notoriis: Gom. *loco citato*, Bald. *in cap. ad nostram, il. 3. de jurejur. Nav. cap. 25. num. 117. & cap. 27. num. 247. & cap. 23. num. 67. ubi habentur tres rationes. Prima, ut omnia ordinatè procedant: secunda, ut per scripta appareat convicta malitia delinquentis: tertia, propter periculum, quis enim esset, qui sponte sua vellet dimittere beneficia, solvere pœnas, prodero turpitudinem suam, & esse exequutorem pœnarum in se ipsum? Et hoc clarè habetur ex Cov. *de sponsal. 2. p. cap. 6. §. octavus, à num. 10. & infra. in v. tertio. quod proba, ex communi Canonistarum & Theologorum sententia, imò dicit, valere hoc in conscientia, Selv. in ver. emphyteusis, numero 7. §. 2. & Capyc. *decif. citata. Vincent. de Franch. dec. 163. numero 2. & hoc facit pro intellectu Extravagantis, Ambrosio, de reb. Ecclesiasticis non alien. & Bulla Pii V. contra clericos beneficiatos Solomitas, cujus meminit Navar. cap. 27. numero 249. afferens declarationem Greg. XIII. vivæ vocis oraculo, dicentis illam obligare, etiam in conscientia, & est Bulla 70. fol. 1028. & Leo X. Bul. 2. fol. 194. & Bulla 5. fol. 92. facit etiam pro dicto sac. Conc. Trident. *sess. 2. c. 1. de reform. dicentis, non residentes minimè facere fructus suos, in conscientia, etiam alia declaratione non secuta, Navar. loco citato, facit quod notat Iser in usib. send. Rub. Quo tempore****

tempore miles, c. si numero 3, & an in notoriis requiratur sententia: *ibidem num. 9*, vide Bald. in *Marg.* Innocen. in *ver. sententia privationis* & in *ver. sententia diffinitiva*, & Innoc. in *cap. si adversus de eo qui mitti*, &c. vide omnino Iason. cum allegatis in *l. si quis major, numero 21. vers. 14. de transact.* hoc tamen fallit, quando à jure est imposita pœna ipso jure, ex aliquo facto, quia tunc non requiritur sententia declarativa, si Judex statuit terminum ad se defendendum super facto, & ille se non defendit, Gemin. in *c. Ordinarii, §. quod si forte, notab. quinto, per illum textum, de offic. Ordin. libro 6*, & sic dicit limitari, *dict. c. cum secundum legem*.

Dices, quid operantur illa verba: *Nulla super hoc aliâ expectatâ sententiâ declaratoria*? Respondetur à Doctor. cit. quòd ex hoc maximum oritur malum, quòd quando quis condemnatur super facto, & pœna, quam ipso jure incurrit, prout supra, condemnatur ad restituendum fructus omnes, non solum perceptos, & consumptos, sed etiam quos percipere potuisset, à die patrati criminis: Diaz. in *Pract. crim. Can. c. 123*, quamvis ibi addit quandam modificationem, Gom. loco citato, numero 9. & 10. Boer. *decif. 98. numero 4. & 5. Felin. in c. de quarta, colum. 2. in principio*, quamvis in minimis parvisque pœnis temporariis, teneri statim in conscientia restituere contravenientes v. lit. Nav. loco citato. Cæteras pœnas non residentium, vide in *Bulla Pii IV. questio 115. fol. 833*. ubi ait, eos facere spolia de omnibus acquisitis per quæcunque beneficia, etiam si testan-

di habuerunt facultatem, quod est notandum pro concordia (poliorum hodie facta cum Sede Apostolica, quoniam non residentes inciderent in hanc pœnam, & concordantia facta non tollunt dispositionem dictæ Bullæ. Verùm animadvertendum est, præfatam Bullam fundari super Decreto S. Concilii Tridentini *sess. 21. Can. 1. de reform.* ubi conceduntur tres menses Prælati, & duo Curatis, & tres Canonicis, *sess. 24. cap. 12. de reform. gl. in cap. in pœnis, de reg. jur. libro 6. in fine*, & facit ista doctrina pro caducitate rei emphyteuticariæ, prout supra in *verb. locatio, §. 2.* & Bal. in *Marg. Innoc. in ver. emphyteus. questio 2.* facit quòd notat Navar. in *consilio 3. de Clem. non resid.* ubi dicit, quòd Canonicus non residens, non tenetur solvere fructus perceptos in absentia, nisi post latam sententiam, & *consil. 20. de hæret.* dicit bona hæreticorum non esse confiscanda, nisi præcedente declaratoriâ, etiam in notoriis.

Ad septimum, vide & distingue cum *Selva, 3. par. pag. 31. per totum*, sed notandum, quòd quotiescunque sequitur privari aliquem beneficio quocunque modo à Judice, beneficium illud ille Judex, vel is, ad quem collatio ipsius pertinet, non potest conferre, nisi elapsis decem diebus, qui conceduntur reo ad appellandum, Addit. ad *decisio. Rotæ 2. num. 63. de rescript. in noviss.*

Quæritur hic noviter, an ordinatus, & beneficiatus per Papam, possit privari, vel deponi ab Episcopo suo? Respondetur ex *Capel. Tolos. q. 292.* quòd sic, quoad beneficium, sed non quoad ordinem

nem. Ioann. Andr. ex gloss. in cap. si alium, par. questio 1.

Ad octavum, vide Tyraq. de utroque retract. titulo 1. §. 8. gloss. 7. numero 16. in fin. ubi ex Anchar. concludit affirmativè.

Ad nonum, vide eundem Tyraq. ubi supra, §. 26. gloss. 2. numero 9. & quo ad primum, vide Iler. in usib. feud. cap. de form. fidelit. §. sed quia non sufficit, n. quar. & Abb. in cap. fin. numero 10. de donat. & c. fin. de postul. & Staphil. fol. 134. n. 10.

Ad decimum, vide Innoc. in cap. cum bona, num. 2. de etat. & qual. Abb. in cap. gravem, numero 3. & 5. de pœn.

Ad Undecimum, vide Staph. de lit. gr. fol. 139. à numero 1. & infra, & Rebuff. tit. de mod. amf. benef. per totum.

Ad duodecimum, vide Abb. in cap. ad aures, nu. 3. de pœn. ubi dicit quòd sic.

Primò, hic noviter quæritur, an pelevians per annum in excommunicatione, sit ipso iure privatus beneficio, an veniat privandus per sententiam, vide brevitatis causa, & distiuguecum Adario, ad quest. 365. Cap. Tolos. pro practica.

Secundò, an unus Episcopus possit privare aliquem beneficio, quod ille habet in diœcesi aliena, verbi gratia, Episcopus Neapolitanus privat per sententiam sejum beneficiis, quæ habet, an si sejus habet beneficium Beneventi, sit privatus illo, & Episcopus Beneventanus teneatur habere ratam sententiam Episcopi Neapolitani? Respondetur, quoad primum, quòd sic; quoad secundum, quòd potest Episcopus Beneventanus revidere sententiam Episcopi Neapolitani, an benè, vel malè sit pronuntjata, vide

pleniùs Gem. cum reliquis in ca. Ordinarij, ver. sed quando, de offic. ordin. lib. 6. & potest cogere Clericos suos, ut ostendat Bullas beneficiorum, quæ ipsi obtinent in alienis Diœcesibus, per dict. cap.

PROCESSIONES.

S U M M A R I U M.

1. Quanam sint processiones solennes.
2. Qui venire ad eas cogantur, & quando.
1. Controversia ad precedentia quomodo sopienda,
4. An Regulares possint facere processiones extra claustra, sine licentia Ordinarii.
5. Ad quem pertineat ordinare processiones & quo, & quâ ducenda sive dirigenda.

AD primum, tres sunt processiones, sive Litanæ. Prima est divi Marci diei. Secunda Rogationum, cap. Rogationes, de Consec. diœc. 3. tertia, Corporis Christi, Concil. Trident. sess. 13. cap. 5. & Canon. 6. Clem. unica, de reliq. & venerat. Sanct. Concil. Moguntin. Can. 33. reperiuntur etiam aliquæ certorum processiones locorum, juxta cujuscuque Urbis, vel Oppidi solemnitates, ut Neapoli Sabato proximiori Kalendis Maii, processio sanguinis, divi Januarii Martyris, & Episcopi Beneventi. Similiter publicæ processiones dici possunt, quæ fiunt propter bonum publicum, prout in vacatione Ecclesiæ Cathedralis pro bono impetrando à Deo Pastore, Conc. Tridentin. sess. 24. capitulo 1. de reformat. ex quo majus sumitur argumentum, vacante Sede Aposto-